Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Vim licet appelles grata est vis illa puella
Quod iuvat invite sepe dedisse volunt
Quecumque est veneris subita violata rapina
Gaudet et improbitas muneris instar habet
At que cum posset cogi non tactus recessit
Ut simulet vultu gaudia tristis erat
Vim passa est phebe vis est illata sorori
Et gratus capte raptor uterque fuit
Fabula nota quidem sed non indigna referri
Sciras hemonis victa puella viro
Iam dea laudate dederat mala premia forme
Colle sub ideo vincere digna venus
Iam nurus ad priamum diverso venerat orbe
Graiaque meliacis membris uxor erat
Iurabant omnes in lesi verba mariti
Nam dolor unius publica causa fuit